

necessaria compararentur. Qui autem conventus indicere eis que praesidere solebant, praesides plerumque erant alieuius pii operis, et non raro ipsi ecclesiarum rectores vel parochi. Verum Ordinarii locorum, quamvis de recto fine eorum qui has choreas promovebant non dubitarent, nihilominus damna et pericula insolitae praxis perspicientes, sui officii esse censuerunt eas prescribere; et ideo in can. 290 plenarii Concilii III Baltimorensis haec statuerunt: « Mandamus quoque ut sacerdotes illum abusum, quo convivia parantur cum choreis (*balls*) ad opera pia promovenda, omnino tollendum carent ». Ast, ut in humanis saepe accidit, quae iustissime sapienterque ab initio iussa fuerunt, paullatim in oblivionem venire coeperunt, et chorearum usus denuo invalescere, imo et in proximam Canadensis dominii regionem diffundi. Itaque S. C. Consistorialis, statuta concilii praefati revocans, decrevit sacerdotes quoslibet sive saeculares sive regulares aliasque clericos prorsus prohiberi, quominus memoratas choreas promoveant et foveant, etiam in piorum operum levamen et subsidium, vel ad alium quemlibet pium finem; et insuper clericos omnes vetari, quominus hisce choreis intersint, si forte a laicis viris promoveantur.

(Ex decr. d. XXXI mens. Martii MCMXVI).

*Circa clericalis vestis usum in regione Canadensi.*

1. — Usus in dioecesi vigens circa clericales vestes, mutari sine causa non debet: iusta tamen libertas singulis Ordinariis est usum illum mutandi, requisito capituli vel consultorum dioecesanorum voto, si nova tempora et adiuncta hoc suadeant, Deo et Apostolice Sedi dumtaxat rationem reddituris.

2. — Clericus a propria dioecesi in aliam migrans potest ibi vestem dioecesis sua retenere, quamvis diversam ab ea quae in loco est praescripta, dummodo sit una ex duabus a Patribus plenarii Concilii Quebecensis probata, (altera nempe talaris, quae propriis clericis est et communis lege in sacris functionibus unice adhiberi iussa; altera brevior, quae, si nigri coloris sit, ad genua

usque protendatur et cum collari Romano iuncta, quae pro civili usu admissa est et qua clericis propria illis in locis passim agnoscitur); idque usquedum domicilium vel quasi domicilium ibidem non ineat.

3. — Sicut in ieunii et abstinentiae lege aliquis similibus, fas est peregrinis loci usum sequi. Ita pariter salva est cuilibet clero potestas se conformandi usibus loci ad quem transmigrat, quin ab Ordinario suo hac una de causa reprehendi vel puniri valeat.

(Ex decr. d. XXXI mens. Martii MCMXVI).

#### Ex Congregatione de disciplina Sacramentorum.

*De Irregularitate, belli causa.*

A. S. C. de disciplina Sacramentorum quaesitum est, quomodo locorum Ordinarii se gerere debeant: 1) si qui clerici, sacris vel presbyteratus, vel diaconatus, vel subdiaconatus Ordinibus initiati, praesenti bello, contracta ex defectu corporis irregularitate ad susceptos exercendos Ordines, vel etiam ad superiores accipiendos dispensentur, postulent; 2) si qui maioribus Ordinibus nondum initiati praesenti bellō pariter contracta ex defectu corporis irregularitate, excedant, et ut ab hac irregularitate ad sacros recipiendos Ordines dispensentur, postulent. Responsum est: Ad 1, « recurratur in singulis casibus »; ad 2, « non expedire ut promoveantur ».

(Ex decr. d. IIII mens. Aprilis MCMXVI).

#### Ex Congregatione S. Officii.

*Circa imagines exhibentes B. V. Mariam vestibus sacerdotalibus induitam.*

Quum recentioribus praesertim temporibus pingi atque diffundi coepissent imagines B. V. Mariam exhibentes induitam vestibus sacerdotalibus, per decretum S. huius Congregationis publici iuris factum d. VIII mens. Aprilis MCMXVI edictum est huiusmodi imagines esse reprobandas.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli,

# ALMA ROMA

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ⚡ ⚡

### De "internationalismo", Christiano

Solemnissimum dogma est, tum fidei etiam scientiae, omnes homines ab eadem stirpe originem ducere. Ex qua doctrina sponte fluit, omnes homines quoad naturam esse et similes et aequales, etsi propter rerum varia adiuncta, possint esse accidentaliter inaequales et inter se dissimiles. Unde intulit Scriptura omnes homines « fratres » esse. Illi, e contrario, qui ceteris dominari intendunt, volunt homines ex stirpe seu origine varia natos; atque huic fictioni fictionem addentes, seipso autumant nobiliori meliorique origine donatos, meliorem naturam sortitos, sibi que competere ius ut ceteris imperent, ceteros eliminent, etiam, ut aiunt, ad promovendum humanitatis bonum; dum, suppressis imperfectioribus, non nisi perfectiores superstites erunt. Hinc pronum est ipsis, inferre violentias et facinora esse forsan aliquid mali inferioribus; idem vero esse in melioris humanitatis emolummentum. Quid insanius, quid peruersius fingi possit, non adparet, hisce imprimis temporibus, quum easdem videamus oculis nostris ad proxim deduci doctrinas.

Ex naturae identitate sequitur, homines ad eamdem felicitatem in hoc etiam

ubi vivimus orbe ex iure tendere: siquidem eadem natura eosdem prae se fert appetitus ad idem bonum. Id igitur boni quod nobis optamus, aliis optare concurrat.

Denique iste legibus et mediis ad finem praedictum pertingere debemus, nullusque homo supra leges illas est, nullus infra. Decalogus itaque, quum totus ad legem naturalem pertineat, immo sit ipsamet lex naturae, omnibus imponitur indispensabiliter. Nulli licet neque Deum verbis et blasphemis offendere, neque ipsius nomen ad scelerata invocare; nulli proximum in sua persona, in suis bonis per se licet laedere. Id vetatur et Decalogo et iure naturae. Quod ita intelligendum est non solum de singulis erga singulos homines, sed etiam de hominum coetibus, seu nationibus, erga nationes alias.

Quod bonum igitur singuli populi sibi appetunt, idem et aliis appeti debet.

Hinc infame quidquam est inter populos ipsos egoismus.

Hinc infame principium illud: Vis iuri praecellit.

Hinc graviter errant et peccant, qui populis persuadere conantur seipso quid iuris babere quod ceteris non competit.

Hinc graviter errant et peccant qui falsis doctrinis fovent superbiam, indeque violentias malesuadas.

Hinc graviter errant qui calumniis, conviciis, quos aggredi volunt, onerant, indeque fovent odia, promovent bella apud turbam, quae vix, ubi tumultuose agitata est, ex conscientia indicat.

Haec sunt quae omnibus ex Evangelio statuuntur iuxta legem ipsam naturalem. Quo sensu, ut volunt Scripturae, totus terrarum orbis aliqua nobis patria est; omnes in eo homines familiam constituunt immensam, cuius caput et pater ipse Deus est.

Hinc in Christo non est amplius neque Iudeus, neque Gentilis, neque Scythæ, neque barbarus; sed omnes homines re ipsa fratres sunt.

Hinc amor humanitatis quid boni est, homines inter se unit atque ad bonum inclinat; immo quid boni est etiam erga propriam patriam, quum inde melius sibi conciliet aliorum amorem et aestimationem.

Ea sunt summa capita officiorum, quibus inter se colliguntur homines qua filii Dei sunt, qua rationabiles. Quae quum in oblivionem pessime dimituntur, atrocia et infinita bella oriuntur, quibus fortasse qui provocaverunt corrigendi, vel puniendi erunt.

Haec omnia quidem non in pace solum, sed et tempore belli serio recognitanda sunt; unde eximius theologus Franciscus de Victoria tres qui sequuntur instituit Canones, nostris hisce temporum circumstantiis praesertim menti revocandos.

I. — « Supposito quod princeps habet auctoritatem gerendi bellum, primum omnium debet non quaerere occasiones et caussas belli: sed, si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habere, ut Paulus præcepit ad Romanos XII; debet autem recognitare quod alii sunt proximi, quos tenemur diligere sicut

nos ipsos, et quod habemus communem Dominum, ante cuius tribunal tenemur rationem reddere. Est enim ultimæ immanitatis causas quaerere et gaudere quod sint ad interficiendum et perden-dum homines, quos Deus creavit et pro quibus Christus mortuus est: sed coactum et invitum venire oportet ad necessitatem belli.

II. — Conflato iam ex iustis causis bello, oportet illud gerere non ad perniciem gentis contra quam bellandum est, sed ad consequucionem iuris sui, et et defensionem patriae et reipublicae suae, et ut illo bello pax aliquando et securitas consequatur.

III. — Parta victoria et confecto bello, oportet moderate et cum modestia Christiana victoria uti, et oportet victorem existimare se indicem sedere inter duas res publicas, alteram quae laesa est, alteram quae iniuriam fecit: ut non tamquam accusator, sed tamquam iudex sententiam ferat, qua satisficeri quidem possit reipublicae laesae, sed, quantum fieri poterit cum minima calamitate et malo reipublicae nocentis, castigatis nocentibus, quantum licuerit: et maxime quia, ut plurimum, inter Christianos tota culpa est penes principes. Nam subditi bona fide pro principibus pugnant: et est periniquum quod poeta ait, ut

*Quidquid delirant reges plectantur Achivi».* (1)

Exinde patet, ubi societas huius modi principiis regerentur, quasi quedam admitterent « internationalismum »; non quidem damnandum, sed maxime laudandum.

I. I. BERTHIER.

(1) *Select. de iure belli.*

### LEO III PONTIFEX MAXIMUS

Anno decimo sexto supra octingentesimum, Idibus Iuniis, Leo III P. M. Romæ in multa suorum benevolentia corporis vinculis solvebatur. Ipse pius, comis, mitissimo ingenio adversariorum persecutiones et diuturnam morborum vim christiana patientia ad extremum tempus perpessus erat, et carus omnibus mirabile mansuetudinis exemplum relinquebat.

Inter pueros adscitus, qui in spem Christiani Nominis crescerent, illico prudentiae, civilis consilii, integritatis laudem cum egregia in pauperes liberalitate cumulavit. A prima iuventa penitiore religionis studio ac litteris clarus, insigne operam christianæ sapientiae propagandæ navavit, et difficillimis temporibus pietate præstantissimus habitus, in exemplum eluxit; opportunitatemque nactus, sapientia praeditus, res italas magnis fluctibus iactatas consilio fovit, re adiuvit, et pro viribus in salutem vindicavit.

Leo III, Deo auctore, Pontifex Maximus renuntiatus septimo Kalendas Ianuarias anno septingentesimo quinto et nonagesimo, incredibili Christiani Nominis laetitia, restitutor felicium saeculorum salutatur.

Vix regnum auspicatus, a motuum civilium oblivione, clementiae nomine inclaruit. Namque gravi seditione Romæ in ipsum coorta, ob quam a factiosis rem publicam obtinentibus est in vincula detrusus, excæcatus, aliisque indignitatibus pressus; at divino numine ad libertatem elapsus, integrum inimicis veniam ultro concessit. Tunc, ut Caroli imperatoris, cognomento Magni, consilium sequeretur, animique causa, in Galliam secessit. Post aliquot menses,

universis ordinibus adclamantibus, in pacatam Urbem triumphans revehitur.

Ea autem tempestate pleraque pars Italiae a Longobardis turpiter premebatur, qui eo omnino totisque nervis spectabant, ut, capta Roma, civitatem omnem in suam potestatem reciperent. Itaque Urbis principem maiore studio atque impetu adgressi sunt. Quot itaque calamitatibus, quot infortuniis rerum novarum cupidi eum persequabantur! Actum erat de Leone III, nisi praesenti numine Deus ipsum ab adversariis manibus liberaret.

Ei armis adfuit et consilio Carolus, qui in animi sui venerationis erga Pontificem testimonium, iterum atque iterum Romam desiderio pacis invisit. Famam virtutis Pontificis Maximi admiratus Deuton, rex Unnorum, dedit ei se, tributumque insuper pollicitus, omnia quae Attila olim ab urbe abstulerat, misit, quærens Baptismum; atque sui regni nobiles exemplum grande sunt principis secuti.

Quæ quidem rerum magna fortuna minime Leonem ad superbiam sustulit; quinimo potius in dies ad studia pacis incitabat. Hoc erat ei in votis, ad hoc unice totis viribus tendere videbatur. Quo nomine, quum vellet immensum hoc pacis beneficium post Romam cum universa Italia communicare, sæpius rem cum Carolo imperatore actitavit. Hic enim ea tempestate erat omnium populorum summus arbiter, gentiumque Italiae dominus.

Quam bene ei aptantur, quæ de Augusto Horatius scripsit! Quam recte ei amicissime scribere potuisse: Ehus! tu,

*Quum tot sustineas et tanta negotia solus.  
Res italas armis tuteris, moribus ornes,  
veni, et Romæ, opem postulanti, da pacem, fer auxilium!*

Hic vero, ut tanto viro morem geret, se suaque in unum populorum comodum, consilio Leonis ne tantillum quidem abscederet. Verum Pontifex, ceteris rebus posthabitatis, ad pacis studia continuo spectans, auctoritate imperatoris suffultus, pacem populis insinuavit, consilio coluit atque auctoritate obtinuit.

Ipsum eius signum, quo epistolas imprimere consuevit, pacem in fronte fecebat.

Quo facto si Carolus, etsi centies bella tulisset, *Rex tamen pacificus vulgo vocabatur*, ob pacem late populis concessam, rectius omnino Leo III Pontifex pacis est appellandus. Roma sane diu fuit felix, vel illis difficillimis reipublicae temporibus, quibus Leo adspectu, allocutio, dulcedine expressam Christi imaginem referens, animi suavitate Romanos atque universos terrarum populos sibi devinciebat. Ipse enim pacem semper mortalibus suadendo, in omnem late orbem terrarum est dominatus.

\*\*

Hæc de Leone III scribens, animo oculisque in Te identidem respicio, Benedicte XV; qui verum humani generis delicium a posteris appellaberis, quod atrocia bella nostri temporis deprecatus, perpetuus pacis auctor undique laudaris, et inter horrentes armorum strepitus, regum hominumque animos tandem ad concordiam revocas, ut omnes populi a civili sanguine prohibeantur.

Tui sanctissimi pectoris votum Deus aliquando accipiat, ac pro sua misericordia in omnium salutem implete!

SENIOR.

## EXCELSIUS!

Ad Philippum.

*Nauta, salum carina*

*Triste sulcanti, traheris...*

*Sperne lyrae susurrum*

*Virginesque cantus.*

*Impotem mentis! petis hei!*

*Flamine non secundo,*

*Ostia, quae carinis*

*Grata nunquam sunt: scopulos*

*Tu petis, o Philippe.*

*Num pharus in patentes,*

*Quae iubar fluctus radiat,*

*Sub pelagi procella,*

*Non tibi iam refulget?*

*Tende in immensum pelagus;*

*Fluctibus aestuosis*

*Nauta vigens resiste:*

*Quid tumescantis retinent*

*Ora?... Suprema tende!*

THOMAS VIGNAS, S. P.

### Q. Horati Flacci epistola ad Augustum<sup>(1)</sup>

Humanissimi auditores,

Ne videar prolixior in enucleandis versibus, quos Horatius olim ad Augustum dedit, neve hisce praesertim gravissimis Italiae temporibus plus aequo in amoenioribus argumentis morer, optimum factu reputavi, ea, quae plurimos manerent de hac epistola, in compendium redigere, atque vobis ob ocu-

(1) Cfr. fasc. III, pag. 49.

los celerrimo quodammodo gradu expondere. Erit, si vobis magis sic vocare placeat, rapidissima illa rerum species, quod recentiori vocabulo *cinematographia* dicitur, et mirum in modum nunc personas exponit, nunc varias humanorum conditiones, sed raptim, sed citatissimo cursu, ut ipsi arti nomen est inditum. Et quo facilius hanc postremam provinciam, et auribus vestris commodius meum sermonem aptem, est consilium ipsissima, pro re nata, Horatii verba identidem mutuare ut, aliqua saltem ratione, vobis pulchritudinem carminis, atque sententiarum altitudinem, quadam fieri poterit, proponam.

Constat apud omnes Romam usque ad tempora Augusti totam fuisse in bellis ad finitimos populos serendis, ac propterea militaria studia quam mansuetiores musas maluisse. Atvero, Graecia vieta, quum a bellandi studiis ad urbanitatem quamdam Roma traduceretur, Romanorum animi liberalioribus disciplinis fuerunt emolliti. At quemadmodum, Horatium secutus, paullo superius memini ludos scenicos, in urbem induxisse histriones, qui saltantes ad tibicinis modos populum oblectarent, Hetruscos ludiones postea imitati sunt iuvenes romani in festis quibusdam solemnibus post messes, iocularia inter inconditis versibus fundentes, quos *fescenninos* a Fescennia, Hetruria oppido, dixerunt. Ex fescenninis hisce versibus, quibus romani iuvenes se invicem carperent, profuit satyra, mordacis comoediae genus, quod varia argumenta complectebatur. At paulatim

*Sævus apertum  
In rabiem coepit verti iocus et per honestas  
Ire domos impune minax.*

Ita magister doctus itemque pudicus, postquam poëtice immodicam hanc Ro-

manæ iuventutis licentiam carpsit, lumbentissime adiungit, cives turpem morem indignantes merita poena reos inussisse; dicens:

*Et grave virus  
munditiae populere! Sed in longum tamen aevum  
manserunt hodieque manent vestigia ruri.*

Mos est in omni passim libera civitate ut dente incruento lacescentur quotquot sunt cives ingenio, auctoritate studiisque conspicui. Hos invidus insequitur, hos saepe irridet, et, si eos publice plectere non audet verbis utique mordacibus, occulto in eos invehit eosque secreto inexorabilis vexat. Verum a qua potissimum lege civis tam barbare lacesitus protectus libere incedere poterit? Ab una modo, auditores, quam et recentiores in hosce occultos famae honorisque laesores. Hoc enim fatale hominum genus fustibus plectere consueverunt. Ego vero vos monitos velim, adversus huiusmodi detracatores una nobili christianaque ratione posse in omnibus uti: *Non ragioniam dolor, ma guarda e passa!*

Postquam ludi scenici in artem verterunt, Romana iuventus, aliarum fabularum actu histrionibus relicto, *atellanæ* tantum egit, ab Oscis acceptas, quas ab histrionibus pollui passa non est. At comoediam paullo omnino adamabant Romani. Horatius, arrepta occasione, dum fusius de ludis Romanorum narrat, suos monitos vult versus antea compo-suisse ad Deorum indignationem plancandam vel ad defunctorum laudes fundendas... « *Carmine dī superi placantur, carmine manes!* »

A quanam re est igitur repetenda ista naturalis Romanorum a theatris repugnantia? Romani omnes in hoc convenire solent, quum primum se se ad comoedias conscribendas contulerunt,

ita mordicus Graecis adhaeserunt, ut non modo titulos Graeco fonte derivarent, sed et personas, argumenta actionesque, cuncta ab Athenis usurparent. Nil mirum equidem si Romani nec frequentius itarent ad theatrum, neque libenter adstarent... « Quid enim, aiebant, nostrum interest patrem Graecum eiulantem auscultare, quod liberi sint pravi, seuriles, vaferimi, si fallacias insenes perpetuo nectunt, si senex avarus, petulans...? Hoc eos minime tangit, neque animorum studium omnino stimulat... » Hinc, ait modestus Horatius, numero plures, virtute et honore minores,

*Indocti stolidique et depugnare parati  
Si discordet eques, media inter carmina poscunt  
Aut ursum aut pugiles...*

Sed qua potissimum causa aegrius Romani comedios suos ferrent, ut ipsos sic parvi faciant, et bestias malint iocantes videre quam actoribus plaudere? Horatius, etiam si conceptissimis verbis huic rei receptum referat, « rem esse diu primis difficilem, quod habet comoedia tanto plus oneris, quanto veniae minus », at tamen, apertissime dicam, a longe alia re hoc crimen, mea quidem sententia, repetendum esse. Quid est comoedia? Rerum, temporum hominumque fidelis cognitio per actores deponpta. Utilitatem si demas, nihil solatii populus inventit, sed fastidium atque in actores cachinos, et ursum poseit aut pugiles: his nam plebeula plaudit.

Memoria nostra cives, quos vos videotis ad theatra nunc frequentiores, rebusque scencis laetantes, et ipsi comedios in fastidio habebant, et iocularia magis garruli circulatoris amabant, in iis toti erant, beatioribus comedios tragoealiasque relinquebant. Et tunc erant co-

moediae festive, et tragediae sublimi styli forma exaratae, cum omni artis lepore ac gravitate. In iis hominum ingenia scriptor et mores graphicè depingit, omniaque venustissimis iocis adspicit. Sed ad rem non facit. Ut vero scriptores temporum suorum mores cognoverunt et studia populi remque suam ad scenas retulerunt, nunc de suo principe actitarunt, nunc de civitate, nunc de rebus suis gestisque hominum, in quibus ille intererat, vel patres, tunc, novo veluti animorum spiritu excitati, nostri non modo in theatra proripere, sed et irruere, plausibus animos actoribus addere, et de comoediis loqui earumque auctoribus iudicium procurare, hos ad caelos efferre, illos ad inferos, et actores scriptoresque ditare. Dolendum sane quod subito scriptores plus aequo tunicati populi genio indulgentes, eas scriptarent comoedias, quas lascivias affuentes, haud plausu dignas esse iudicaveris, sed improbandos reprehensione atque censura. Et suo nos acumine carpit noster, et monet libero ore de carminum sanctitate, maximas laudes texit de eorum utilitate in civium cultum atque morum probitatem:

*Castis cum pueris ignara puella mariti  
Discret unde preces, vatem ni musa dedisset?*

Et ipse Horatius, qui in carminibus suis praesertim lyricis, identidem complura minus verecunda, nonnulla etiam obscaena inseruit, a carminum nitore et venustate omnino abhorrentia, quid poësis sibi proponere debeat, hoc candidius exaravit:

*Torquet ab obscaenis iam nunc sermonibus aurem,  
Mox etiam pectus praecepit format amicis.*

At quomodo in civitatem adeo a litterarum studiis aversam tam abundan-

tior humanitatis cultus, velut copiosissimus doctrinarum amnis, influxit? En responsum. Roma enim, ut antea memini me dicere, usque ad tempora Augusti, quum tota esset in propulsandis belli periculis, militaria studia quam mansuetiores musas malebat. At Graecia capta, positis undique armis, omnes ad urbanitatem quamdam traduci videbantur, et Romanorum animi liberalioribus disciplinis fuerunt emolliti. Et quomodo prius Roma armis bellorumque virtute universum terrarum orbem auctoritati sua subegit, mox litteris, artibus, certesque pacis industriis, et ipsam Graeciam superare contendit. Sic rapidissimo cursu horum scriptorum potissimum opera, aetate Augusti elegantissimus fuit latinae linguae ornatus, et praestantisimi oratores atque historici floruerunt, et aurea illa romanarum litterarum aetas adstitit, quae Augusti nomine decorari consuevit.

Et Horatius, admiratus quod tot beneficia in urbem decurrant, sic in Augustum revertit:

*Hoc pacis habuere bonae ventique secundi!*

Namque, compositis undique rebus, populus romanus levis antea et belliger mutavit mentem

*.... et calet uno  
scribendi studio.*

Ad Romanorum cultum etiam contulerunt bibliothecae, quae in urbe fuerunt institutae. Et ipse Iulius Caesar, quum de ornanda atque instruenda urbe cogitaret, bibliotecas Graecas et Latinas, quas maximas posset, publicare destinavit, data M. Varroni cura comparandarum et digerendarum. At si tantus exstitit atque inopinus carmina scribendi amor, ut omnes fere Romani

ad versus raperentur, ut scriberent « indocti doctique poëmata passim » hanc laudem eis esse praesertim attribuendam reputavit, quod nihil scribere coeprint nisi castigatum omnibusque adprobatisimum.

Atque adeo:

*militiae quamquam piger et malus, utilis urbi  
... parvis quoque rebus magna iuvare.*

Novus adest populus, nova subita rerum conditio: et omnes civium animos una scribendi carmina voluptas possidet.

*... puerique patresque severi  
Fronde comas vinceti coenant et carmina dictant.*

Memorabile dictu, quod Augustus, qui tot munieribus omnes cumulat poëtas, qui et maxime adulantur, atque ita videtur « ratibus addere calcar », hoc unum poëtarum genus non suffert, arcensit atque a se repellit. Quod optime rescit Ovidius, et manu ipse sua se infelicem reddidit, atque in exilium missus in aeternum cantat:

*Carmina fecerunt ut me moresque notaret  
Iam dudum visa Caesar ab arte mea.*

Noster vero omnes suos veluti aspernatus, timens ne Augustus a multis reprehendatur, ut nimis facilis erga assentores vel minimos nulliusque pretii, totus est in eum monendo, ne indignos tolleret qui benefactorem in perniciem adducere poterint... Quot enim tunc causus fortunati rerumque gestorum copia domos Romanorum hilarabant! Complures eius duces, spoliis ab hostibus relatis, in urbem ovantes evehebantur, et quum divis grates agerent, triumphantes Caesarem salutabant. Ipse autem, quum laudes de victoriis poëtarum laetas acciperre videretur, summorum laudibus tan-

tummodo gaudebat eosque unice aestimabat, et magna in pace maximum omnium bellum meditatus, victoriam ex insperato atque omnibus populis admirantibus inimicos late populos vincebat « pariter Parthasque sagittas », sed, veluti triumphans, ait,

neque parvum  
carmen maiestas recipit tua, nec meus audet  
Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.

Et quoniam res itala maxime nunc inter Alpes et ad Sontium agitur, et illuc graviter diu acerrimeque dimicatur, pacem tandem cum gloria auspicari liceat. Diu enim anceps Victoria et animi moe-  
rore longius macerantur, et graviores in diem preces effunduntur. Namque, no-  
bis quod gratius cariusque contingere poterit, quam vota pro victoria compo-  
nere, quam pacem post relatos triumphos celebrare, *claustraque custodem pa-  
cis cohidentia Ianum?*

Quod felix, faustum, fortunatumque fiat.

I. B. FRANCESIA.

## VETERA ET NOVA

### De projectis sive telis.

Quemadmodum bellicorum tormentorum nomine machinas omnes ad missilia emitenda generatim comprehendividimus, sic de projectis dicentes, *telum vulgo* apud Romanos appellatum fuisse invenimus quidquid im oppugnando aut repugnando eiacularetur manu, vel alia quavis ratione.

Quum nullam invenio causam cur in

universum et projecta bellica hodierna « tela » nuncupemus, si tamen naturam veterum novarumque rerum considero, et antiqua tela ex lapide et ligno maxime constitisse, facile induco, ut potius quam ad vocabulum illud, accedam ad alterum, quod usurpatum iamdiu a recentioribus latinis scriptoribus vidi, imo et in lexica quoque relatum; *pyrobolum* scilicet, hoc est, iuxta Graecum etymon, « projectum ex igne ».

Quae quidem projecta in usu nunc, trifariam praecipue distinguuntur, quae Italice sonant: *palla - granata - shrapnel*. (1) Eorum genus primum in scopos loriciatos proprie adhibetur; secundum ad destinata petenda non quidem loriciis munita, sed obstantia tamen, ut frequentata loca, armamentaria, muros, aggeres, valla; tertium ad « animata centra » (prout vulgo dicitur) percutienda.

Quomodo ea latine significabimus? *Palla*, itemque gallica *boulet*, alii *pilam*, alii *globum* latine reddiderunt, adiectivo apposito « ignivomus », vel « ignarius », vel « tormentarius »; « ignita iacula » alii vocarunt. Postremam hanc dictiōnem repudiaverim; « iaeulum » enim si designabat quidquid in longum iaci posset, speciatim ad hastilia referebatur, et longissime aberat a vi projectorum quae per nostras machinas emittuntur; quippe quod manu praesertim impingeretur. Scribit revera Sallustius (*In-  
gurth.*, 61 extr.): « Plerosque iacula, tormentis aut manu emissas, vulnerabant »; et Livius (XXVI, 4): « Eis parmae breviores, quam equestres, et septena iacula, quaternos longa pedes

(1) Gallice: *boulet*, *grenade*, *shrapnel*, Anglice: *bullet*, *grenade*, *shrapnel*; Teutonice: *kannon-kugel*, *granate*, *shrapnel*.

data, praefixa ferro, quale hastis velitaribus inest ».

Restant voces *pila* et *globus*. *Pila*, ae, usuali significatione, uti omnibus notum est, globum quo luditur indicabat; propria vero, quidquid rotundum esset ad instar pilae, vasis scilicet illius aenei, lapidei aut lignei, in quo aliquid pincaretur et comminueretur. *Globus* autem corpus notabat « solidum et unica superficie contentum; undecumque rotundum, cuius omnis extremitas paribus a medio radiis attingitur, ut Cic. *Univ.* 6 loquitur. Idem *de Natura Deorum*, 18: Quumque duae formae praestantes sint: ex solidis, *globus* (sic enim σφαῖρα interpretari placet); ex planis, *circulus* ». (1)

Quum res ita se habeant, haud scio utrum unam an alteram vocem anteforam; vos videatis, humanissimi lectores; crediderim utramque adhiberi licere.

At vero non *pilae omnes tormentariae* — (malo enim attributum hoc, ut *pilam lusoriam* dicimus) — globi sunt, scilicet ad sphaerae formam fabricatae; pleraeque imo nunc speciem praebent cylindri, cum fastigio cuspidato. Has minime dubitaverim *glandes* appellare, ut Latini translate glandem dicebant *plumbum* in modum glandis efformatum, quod in hostes torquebant. Verg. (VII, 686):

*Nec clipei currusve sonant, pars maxima glandes  
Liventis plumbi spargit.*

Itaque μολυβοδίδες a Graecis, et *Plumbeae* simpliciter a Spartiano (2) vocata sunt haec tela, tantaque vi iacebantur, ut

(1) FORCELLINI, *Tot. latinit. lexicon*.

(2) LIPS., *Poliore.*, IV, 2.

calore accensae in aëre interdum liqueficerent, prout colligitur a Lucano (VIII. 513), *Statio* (*Theb.* 533), et Ovidio (*Metam.* XIV, 825). Quum autem eiusmodi formae projecta ad plura tormenta bellica hodie exhibeantur, *glandes catapultarias*, *ballistarias* et etiam *manuballistarias*, pro opportunitate, dixerim; glandem enim et eiusmodi fuisse, ut profecto penetret, clare ostendit Livius, quum Gallo-graecos maxime his telis victos a Manlio descripsit (*Hist.* XXXVIII, 21): « Sed non tam patentibus plagis, — inquit, — moventur; . . . iidem quum aculeus sagittae aut *glandis abditae introrsus* tenui vulnere in speciem urit, et scrutantes quae vellant, telum non sequitur; tum in rabiem et pudorem tam parvae perimenti pestis versi, prosterunt corpora humi, sic ut passim procumberent ».

Quum denique et projectum quod, a suo inventore, *shrapneli* nomen ubique retinuit non dissimilem formam obtineat, *shrapneliam glandem* addemus. De qua ulteriora scribere haud immoror; qui alia de re legere voluerit, ad illa delego quae in superiore fasciculo *Aliae Romae*, (pag. 117) edita sunt.

Reliquum est ut de projecto *granata* aliquid proferamus. Ipsum, Italicum inventum fuit, nomenque pariter ex Italia deduxit a fructu illo, qui « malum Punicum » nuncupatur, et etiam « *granatum* ». Seilicet, ut pomum illud, pilae aut globi formam exhibens, innumera grana tamquam pilulas continet, telum hoc aeneum, sphaericum, plumbatis pilulis missilibus repletur. Non longe itaque aberrare mihi videor *granatum glandem* projectum hoc appellans, eoque magis quod eius figura, non aliter ac tor-

mentariorum globorum atque shrapneli, glandem et ipsa ostendat.

Quod si vocem iam in Latinorum telis usitatam aptari quodammodo rei prae sumamus, duae fortasse erunt, *gesum* et *astyochus*.

*Gesum* sive *Gaesum* — de quibus Livius: « Sunt qui a caedendo, *caesa* dicitur putant » (1) — Festus: « grave iaculum » indicat; Suidas: « telum, vel contus longe feriens »; Caesar (*Bell. Gal.* IV) « in vallum coniecta ». In classibus servianis gesa non nominantur, et vox ac telum peregrina videntur. Et quidem Athanaeus (lib. VI) Romanos petuisse ab Hispanis autumat; alii magis a Gallis. Sic Novius: « *Gesa*, tela Galliarum »; et Vergilius:

*duo quisque Alpina coruscat*

*Gesa manu.*

Propertius etiam de Virdumaro, eorum rege:

*Nobilis e rectis fundere gesa rotis.*

Claudianus, quasi propriis insignibus Galliam ornans (*De laud. Stilic.* II):  
*Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro*  
*Binaque gesa tenens.*

Livius denique, — ut auctores alios brevitatis gratia omittamus, — *gaesa* ab hastis distinguit (VIII, 8) quasi inter iacula potius referenda: « Leves autem inquit — qui hastam tantum gesaque gererent, vocabantur ». Atvero in sequenti libro pastoricum telum id facit: « Ivere pastorali habitu, agrestibus tellis, falcibus binisque gesis armati ». Qui assentitur Silius It., qui pastorem Afrum ita ornat (lib. II):

*omnia Poenum  
Armenti vigilem, patrio de more sequuntur,  
Gaesaque latratorque canis.*

*Astyochus* vox composita apparet ex graecis ἄστυ et ὄχομαι, quasi urbem perimens. Eum unice descriptum ab Hesychio apud Lipsium (2) repperi, his verbis: « Vas rotundum, in quod infundentes picem et sulphur et stupam, emittebant, et quo deferebatur, adurebat obvia ».

Quid igitur? Evidem non video cur granata glans, magis quam cetera offensionis projecta a grandioribus tormentis bellicis hodie emissas, astyochi nomine distinguenda sit; fortasse per hoc indicare potius posterius decies cubitalia illa projecta a congruis catapultis emissas, quibus maxime Teutones in immani quod adhuc flagrat bello ad urbes diruendas usi sunt atque utuntur. (3) Gaesi autem vocabulo si uti volumus, hoc tantum ad granatam glandem missilem manum designandam adhibuerim.

Ad finem bellici huius argumenti quum tandem advenerim, notabo insuper peculiare granatae genus quoque exstare quod *granata torpedo* dicitur, et est contra secundaria munimenta ac scopos magnae propugnationis, suggestus videlicet cataphractos, loricatas naves, etc.; et projectum aliud subaquearum lintrium proprium, recens fuisse cum iis inventum, quod quum graecum nomen à pisce qui σιλουρος appellatur ex forma deduxerit, latine dici posse *silurum* absque scrupulo existimo.

Valete, atque tela omnis generis a vobis Deus avertat!

I. F.

(2) *Op. cit.*, V, 2.

(3) Numme eadem voce et ipsam tormentarium machinam (Italice *cannone da 420*) per μετονυμίαν designari licuerit?

(1) Apud VALTURIUM, *De re militari*, X, 4.

## Ingenuarum artium specimen

MARIAE STILLMAN TABULA,  
QUI TITULUS « PACIS NUNTIUS »

Non equidem his diebus exquisitae picturae cultrix Maria Stillman istud ar-



tis sua speciem edidit; idem vero revocare nostri temporis profecto est. Quot enim et matres, et sorores, et sponsae tristissimis, in quibus versamur, rerum adiunctis, heu! sunt suis orbatae ad bellum profectis; quot autem quum litteras ad suos scripserunt, priusquam cursui publico committerent, mallent,

quemadmodum huic puellae, sibi contingere, ut columba, pacis nuncia, vel saltem augurium, apud se advolaret; quinimo ea esset, ut viatrix ad dilectos suos inter aggeres et valla dimicantes, fortasse etiam vulneratos et morituros,

longinqui, at indissolubili nexu coniuncti animi sensus apportaret!...

Tabula vero a delicata muliere effecta non una intimae significationis vi praestat, sed peculiari suavitate, quae praesertim in redditis tum puellae tum Chaoniae volueris figuris mirabiliter excellit.

X.

## COMMUNIA VITAE

## De Tabaco.

« Amice, bellum quod pugnatur acriter,  
Tuam pol mentem terruit poëticam,  
Seni fortassis aruit vel venula ? »  
Sic me compellat, vanitatem blandiens,  
Antiquus unus nostris e lectoribus.  
Ei senariis responsum versibus  
Dabo, compulsus cordis acrimonia...  
Meam sic probem venam non senescere,  
Modo nec ipsam ridendi cupidinem.

Nam de *Tabaco* scriptitabo lepide,  
Loquens amicis verbis necessario,  
Quem *tabacosum* dicimus nos merito,  
Solet *Tabaco* totus hic conspergier...  
Enim sunt vestes saepe, sunt et labia,  
Nares, et acriter faent fastidio;  
Manus cum digitis detersae pulvere  
Replent et omnem mensulam scriptoriam.  
Aliud turpius dixeris quod vitium ?

In primis toxicum dictum *Narcoticum*,  
Viris quod multos dat morbos, nascitur  
Ex ipso tacitum praeter insidias.  
Tulit quis at nobis istud flagiti? « Ut omne dicam, suffer, lector, fusi. Velim, sed quaeso, loquor confidentius, Damnes id verbum, dixi quod nuperrime... Non est flagitium, bonum dic potius... » Amicus noster sic abrumpit taedio. « Omnes nam sumunt hoc *Tabacum* principes, Sumunt et subdit. Quid ? Et Pontifices Sumunt, et ultro ceteris dant alacres, Libenter regibus solvunt stipendum, Et qui sumunt ore sumunt et naribus... » Bonum dicens ? multi sumunt altissimi ? Quid hinc ? Quid ipsum sit habebis postea. Iuvat sed cuncta novisse per ordinem. Narrat argute noster at *Christophorus* : (1) Ad Salvatoris primum pulsus insulam, (Sua quam pietate sic diei voluit) Vidi complures, inquit ipse, barbaros, Sedentes circum titionem herbulis Confectum siccis, spargit qui fragrantiam. Adest infixus titioni calamus; Fumum certatim trahunt odoriferum, Exit qui ut nubes ex ore, exit e naribus. Divinam vide insitam sapientiam. Repellunt ita parvulas bestiolas,

(1) Scil. *Christophorus Columbus*,

Diu noctuque lancinant aculeis,  
Vexant quae duris incolas et advenas,  
Vocant *mosquitas* nunc hispano eloquio.  
Trahuntur avidae parvulae bestiae,  
Cadunt et omnes soporatae bellule,  
Sinunt sic incolas in pace vivere.  
Nova correpti sed Hispani imagine  
Et ipsi fumum detrahunt ex arbore...  
Dulees videntur et quam voluptari !  
Et usque fumant alacres ad vesperum,  
Et omnes fumant interdiu perdite.  
Hoc ipsi in patriam regressi peragunt,  
Cunetis prodigium coram admirantibus.  
Perit sed hoc brevi *tabacum* funditus.  
Semen nam *tabaci*, longo post tempore,  
Carolo Quinto Cortez, viator impiger,  
Gestis illustris tradidit victoriis.  
Quod serius Nicot, orator gallicus  
Ad Lusitanos, Catharinae protulit,  
Reginae Galliae semen cum fructibus.  
Tunc inter omnes gloriosius transiit,  
Hoc esse barbaris venenatis lanceis  
Aptum remedium malis et omnibus.  
Erant sed herbulae praeditae virtutibus  
Plusquam centenis, et sanctam praedicant,  
Ipsa *oratoris* herba primum dicitur,  
Vel *nicotiana* popello gratior,  
Ab ipso prospere ducta cognomine.  
Nunc et Reginæ, venerat quae *Tuscia*...  
Quis scit an *sigari*, vocant quos *Tuscios*,  
Eius dicantur in memoriam denuo ?  
Perit sed omne cognomentum breviter  
Suumque mansit primum vocabulum.  
Et ipsum dixeris semper ab insula  
*Tabacum*, placuit sic vocari gentibus.  
At, at, saluti fertur istud noxiū ?  
Vel ipso initio feruntur plurimae  
Leges, decreta vulgus et minaeter  
Gravi vetatur poena, sed inaniter.  
Russi nam, Turcae, barbaro cum Perside,  
Fumantes vexant, torquent molestissime.  
Eis labellum perforabant turpius,  
Nasum caedebant et interdum miseris !  
Amant sed hilares bibunt et toxicum.  
Quid amplius ? Saevam minitantur necem  
Angli, fumantes pensiles et reddere.  
Frustra, feruntur usque sed supplicia.  
Surgunt et medici doctis consiliis,  
Morbos praenuntiant, multas agritudines...  
Nil rerum iuvant miniae cum legibus.  
Ab istoc toxicō nec timor detrahit  
Mortis instantis, mors datur si dulcior !  
Latae leges cadunt, et fiscus ditior

Fit in dies. Omnes laetantes ruunt.  
Nam sunt tabacum sumunt qui labellulis,  
Qui stringunt ore, qui degustant dentibus,  
Et atrum fumum qui evomunt de naribus,  
Et nimio turbam factore congerunt.  
Haec virtus dicitur, per medias vias,  
Incedit arduus vel tantillus puer,  
Magister fumat inter et discipulos,  
Et administer res qui mundi dirigit.  
Bonum sed iuvat de *Tabaco* et dicere.  
Ergo *Tabacum*, sumseris si naribus,  
Quidem si parce callide et compositum,  
Potest fortassis esse tunc innoxium.  
Humorem capit is fraenat immodicum  
Si adest adstrictio, levamen generat...  
Multis post annis quod utamur perperam,  
Solet fastidium ferre mortalibus.  
Fastidium ? Graves die aegritudines,  
Tulit quas levi gens humana spiritu,  
Hoc sumat toxicum copiose dummodo.  
Quid autem foodius, quid incommodius,  
Quam prope esse illi fumat qui frequentior ?  
Quid est ? Grave effundit putorem circiter,  
Lues velut dira ipsas auras viciat.  
Laboriose respirant ipsi et male,  
Quinimo tussiunt, laborant gutture,  
Impatienter dapes per corpus digerunt;  
Cor fatigatur, abdomen et bronchia,  
Et omne corpus mentemque debilitat.  
Et uno verbo monet nos solemniter :  
Fumare plurimum nocet iuvenculus !  
Opimis iuvat fortassis et pinguibus,  
Foret nec ipsis nunquam necessarium.  
Enim quid toxicum *Nicotinum* taceam ?  
Daret tantillum necem vel sumentibus.  
Decet referre narrant quid historiae.  
Adest ehu ! longa turpis rerum series.  
Libenter factum memorabo notius.  
Quidam vir nobilis, de gente Belgica,  
Multis post studiis, pravo consilio,  
Potens hoc invenit abditum toxicum.  
Eo contendit insidiose viribus  
Hoc ut leviro propinaret commode.  
Brevi quod accidit morte turpissima.  
Captus et publicis inclusus vinculis  
Damnatur capit is, totis suffragiis.  
Rem narro crudam prope incredibilem.  
Poenam subivit coram multitudine,  
Fumum quae gentium evomunt sic varie,  
Ut inter veluti tabaci nebulam,  
Sui reus luat tormentum criminis !  
Adest et cancer qui fumantium dicitur,  
Oculi laborant morbis et novissimis,

Et dentes reddit nigros quos et foetidos,  
Erant qui candidi prius pulcherrimi.  
At est immanus manet quod dedecus.  
Ruit praeceps omnis natio Galliae,  
Ruunt Europæ nationes ceteræ,  
Modo quod *tabaco* abutantur turpiter.  
Fumatur improbe in tabernis modicis,  
Fumatur divitum magnis in palatiis,  
Sunt in magistratu gentes haec pessimæ  
Si stas, fumatur ! Iter si persequeris,  
Adest fumi culmen ubique gentium !  
In diversoriis, theatris; parum abest  
Quin et fumetur ipsis in ecclesiis !  
Quam sane nostri qui vixerunt atavi,  
*Tabacum* parce qui modeste sumerent !  
Suis in fabulis ponit *Goldonius*  
Personas sumant quae *tabaci* tubulos,  
Quietos hauriant fumum cum gratia.  
Sancte docebant olim sic *Venetiae* !  
Crescent impensae, crescent aegritudines...  
Foret consilium quam bonum, optimum,  
Abstineas istoc quandoque vitio !  
Quot, quantis crescit res thesauris publica,  
Recte teneres quos tuo in marsupio !  
Res ipsa sane simus cum nos publice,  
Eam, si sani vivimus, iuvabimus.  
Ab illis cives rebus sic se temperent,  
Premunt quae eos malis multis infortuniis.  
Hoc esset stultius tibi si quaerites  
Tantis impensis tantas et molestias,  
Parvo labore cum possis esse liberum.  
Isto tu mecum bono utere consilio.

SUBALPINUS.

## PRO IUNIORIBUS (1)

Dum superat generi virtus antiqua pa-  
rentum,  
Augeat Italiani divini gloria ruris.

Magna sapientia equidem est ad veterum dicta nostros componere mores;  
ipsi enim iam ipsa ea sunt experti quae

(1) Scriptum quoque hoc, cuius argumentum versus fuerunt qui sequuntur, in fronte regiae cuiusdam domus rebus agricolis regun-

nos experiri debemus. Ergo Catonem eumque maiores loquentem audiamus: « Maiores nostri bonum virum ita laudabant: *bonum agricolam, bonum colonum* ». Nescio quid rectius sanctiusque dici poterat. Agrorum enim cultus sive in iis quae ad corpus, sive in iis quae ad mores, perutilis est, nec in errore deprehendar quum dixerim cuiusvis populi summam laudem in agrorum cultu, iure meritoque positam fuisse.

Undenam fruges, olera, vina habere possunt homines, neglectis agris? Cives illi urbani, qui otio atque sagina luxuriosam vitam degunt, nec non illa (ut Horatii verbis utar) « in cute curanda plus aequo onerata inventus » quum in agricolam barba squalentem, capillo intonsum, vestitu hircum olentem incident, oculos dolentes convertunt et agricultorum vitam miserantur. Stultissimi atque ineptissimi homines, ipsi ignorant quanti maiores nostri agrorum cultum habuerunt. Ignorant quod Cincinnatus ille, demisso aratro, dictator exercitum duxit, hostes profligavit.

Sed non tantum ad vitae nutrimentum, ad mores quoque componendos agrorum cultus apprime est utilis.

Agri enim virtutem omnem fovent augentque; eorumque cultores a calliditate moribusque corruptis longe absunt, quia ipsa natura, ipsa caeli libertas, grex, ad sobrietatem, ad pacis virtutisque amorem animum alliciunt; unde apud Catonem scriptum invenimus: « Ex agricolis et viri fortissimi et milites strenui gignuntur, maximeque pius quae-

dis insculpi, amicus noster Alexander Aurelius in Pontificii Seminarii Romani lyceo politiorum litterarum magister, ad nos misit, quippe ab eius discipulo quodam in schola concinnatum. Nonne iusta causa est cur et docenti et alumnis iterum iterumque gratulemur? (A. R.).

stus stabilissimusque consequitur, minimeque invidiosus, minimeque male cogitantes sunt qui in eo studio occupati sunt». O verae minimeque operosiores dvitiae! Brevi praecidam. « Agro bene culto, — ait Cicero, — nihil potest esse nec usu uberior, nec specie ornatus».

Qui thesaurus rustici otii beatissima vita! Laus in promptu est, et ea quidem saepius ab Horatio recitata. Ruri enim sollicitae curae animum non affligunt, vel sermone vel lectione fas est ducere iucunda oblia, animusque aulam pertaesus illa suspiria trahit:

*O Rus quando te aspiciam? quandoque licebit  
Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis  
Ducere sollicitae iucunda oblia vita?*

*O noctes coenaque deum!*

Prisca itala gens de agrorum cultu recte cogitans, paterna rura bobus exercuit. Non excitabatur classica tuba Tibullus ille beatissimus nec suo in agello mare iratum timuit, sed Cereri Priapoque spicreas coronas obtulit. Vergilius pastas capellas, distenta ubera, domum suavissime ire iubet, quia iam culmina fumum emittunt, quia venit Hesper... Quod placidum vivendi curriculum Horatius per belle commentatus est:

*Beatus ille qui procul negotiis  
Ut prisca gens mortalium  
Paterna rura bobus exercet suis  
Solutus omni foeno.*

Italis omnibus si cordi est ut haec nostra dilectissima tellus, frugum alma parens omniumque bonarum artium et mater et magistra de die in diem proficiat, ad agros enixe revertendum est; nec tali modo mentiti erunt ii versus, quos in fronte regiae domus rebus agricolis regundis feliciter sumus conspicati:

*Dum superat generi virtus antiqua parentum  
Augeat Italianam divini gloria ruris.*

## ANNALES

### Europaeum bellum.

Proximo mensi bellico in Europa initium posuit pugna navalis inter Anglos et Germanos ad Jutland peninsulae littora pugnata; ex qua videtur quidem superior Anglia excessisse, sed tamen cum fructu non admodum respondentे labori. At profecto luctuosa magis, post dies quinque, Anglis ipsis contigerunt: siquidem Orkney insularum ad occidentem, cursoriam navem *Hampshire* Russiam petentem, — utrum per hostilem σῖλουρον, an per cuniculariam igniferam ollam in ponto demersam in incerto est — perdidere, et in eius incendio Kitchener illum virum, qui bellicorum negotiorum nunc administer, auctor primus exstitit Angli imperii colonici constituendi, immo rei militaris omnis apud civitatem suam renovandae. Tanto homini honoris debitum non a suis tantum, sed ubique terrarum, et ab hostibus ipsis, concorditer solutum est.

Dum autem haec geruntur, nova eaque necopinato renunciantur: Russi scilicet eam offensionem in Teutones aggreduntur, qualem fortasse nemo cogitaverit. A Pripjet enim fronte profecti ad Rumeniae fines, Austriacos in Voliniam sese retrahentes insectantur ad Luzk urbem, quam obsidione cingunt, brevi-que in suam dictiōnē redigunt. Deinde quum Styr flumen transiissent, Eubno regionem invadunt, in eaque Demidovka oppidum capiunt sylvasque circum, agerem nempe illum a natura constitutum inter paludes fluminaque Ikva et Styr, atque per latum circumactionis ambitum Leopolim tendunt, ut agmina cum altero suo exercitu in Galitia ope-

rante coniungant. Qui quidem exercitus inter septem triones et orientem Tarnopolitanae regionis quum castra movisset, Tyram annem exsuperavit, iamque ad Sniatyn urbem pervenit, suamque fecit. Neque satis. Tertius namque Russorum exercitus Bucovinam invasit, Czernowitz urbem caput obsedit, eaque potitus die XVIII mens Iunii, ultra procedens, urbes et oppida regionis omnes: Radautz, Kuty, Kimpolung, hodieque autem Kolomea apprehendit, hostem ad Sarmaticos montes impellens atque premens.

Ut huiusmodi vim a collegis distraherent, Germani proelia ad Dvinsk intermissa resumpserunt; impetus vero, licet magna virtute adducti, nondum valuerunt Russorum fines a Riga ad Kowel violare, neque pariter Germanis impedire datum est quominus Angli ad Archangeli ora suas copias cum Russorum unirent; non secus ac Turcae imposites evasere ne et Russi ex Asiatico suo imperio Revandua et Djivizlyk urbes evellerent, et Meccae princeps sui iuris et quovis vinculo liberos Arabes ediceret, sanctasque, quas nuncupant, urbes Meccam et Medinam a Turcarum servitute vindicaret.

Ad clades a Russis acceptas, eae accesserunt quae Austraci illatae sunt ab Italibus, qui non solum ulteriore quemvis eorum progressum continuerunt, sed ita cunei, quem in superiore nostra recensione descripsimus, latera, quasi fabrum morsum, compressere, ut necesse hosti reddiderint sese, ne frangeretur, reprehensare. Sic Itali non solum amissa per deprehensionem loca fere omnia iam recuperarunt, sed nova hinc inde sibi addiderunt.

Galli post strenuissimam Vaux arcis defensionem, eam, prope in saxorum con-

geriem redactam, die VII Iunii in Germanorum manus dereliquerunt. Deinde in Thiaumonti munita loca pugnatum est acerrime et pugnatur: ea enim alterna vice iam plures dies ab altero ad alterum transeunt. Interim et totis nervis circa Mosam Germani contendunt, vitae hominum suorum incuriosi, quorum in pervicaci hac Virodunensi agressione quadringenta et quindecim millia perdidisse dicuntur. Nunc iis et cum Anglis erit dimicandum; qui in foederatorum Gallorum auxilium iam veniunt.

Priusquam ad alia argumenta hodie nos convertamus, haud praeteribimus, actam Anglo-Gallorum sollicitationibus non minarum vacuis, quibus et Russorum Italorumque accesserunt, Graeciam arma, quae instruxerat, deposuisse, novumque administratorum collegium constituisse, praeside Zaimis. Graecam insulam Taxos Galli occuparunt.

\* \*

**Ex Sinis** nunciatum est Yuan-Chi-Kai illum, qui postremis hisce annis vere dominus Sinarum evasit, diem obiisse supremum. Si sagacissimum ille se praebuit ad primas imperii sibi quaerendas, fortasse incaute gessit Gallorum Napoleonem apud suos imitando: ambigens enim inter Reipublicae et Regni gubernium, eo devenit ut in omnium offensionem incurreret civesque ad omnium rerum perturbationem traheret. Cum eius obitu redibuntne concordia et quies?.. Interim Vuen-Oung, alter a Praeside, civitatis rerum summa pro tempore assumpsit.

\* \*

**Discrimen inter Septentrionalis Americae et Mexicanam Civitates ex-**

cuit, iamque furor arma ministravit. Dum enim Carransa dux, mortuo Villa, qui Mexicanorum rebellibus cohortibus praeerat, a Civitatibus Foederatis Septentrionalis Americae petit, ut milites suos ad exterorum vitam et bona tuenda missos, reducant, cum suo exercitu ipse in eos hostiliter proficiat. Quorsum res cessurae erunt, proximi eventus nos edocebunt.

Kal. Iuliis, MCMXVI.

POPICOLA.



## VACUI TEMPORIS HORA

Diu, fateor, ambiguum habui, an in hoc fasciculo locus mihi esset: erat ne et mihi tempori concedendum, atque ex mea parte recens inductae **legali horae** debitum tribuens honorem, horae meae valedicendum? Eccū enim horae magis iure renunciandum, quam vacui temporis? Quum haec mente agitarem, Moderator noster amplissimus moras omnes interrupt, meque ad unicam recentissimi huius inventi utilitatem facile reduxit; quae est..., ut horam minus dormiamus. Quum enim, — inquit, — sol guberniorum decretis haud commoveri siverit, et in occasum ad suam, non quidem legalem horam, impavide sese vertere perrexerit, id revera accidit, ut mortales nos vespertinas res nostras, ipsamque horam qua lecto nos recipiamus, iuxta morem cui assuevimus adhuc moderemur, dum, e contrario, mane iussis ficticiae horae obtemperare coacti, volentes nolentes e toro iuxta horologii signa assurgimus.

Qui igitur totius negotii cardo? Quietis profecto hora deficit; superat hora

ad ineptias agendas... et scribendas. Igitur vobis et hodie adsum.

\* \*

Adsum, ut in primis perutile consilium offeram, iis praesertim aptum et accommodatum, qui aestivis hisce caloribus, salsas refrigerantesque maris undas et aërem suspirant, neque tamen explore desideria sua aliqua de causa minime valent. Heus vos! parcite querelis; moerorem deponite: scientia enim per heroa suum **rationem maris domi comparandi** summa liberalitate vobis suppeditat.

Qui quidem vir sapientissimus docet: Molibus decem aquae oxygenae sic compositis, ut centesimam *aetheris* ozono praegnantis contineant, duasque centesimalis partes cum dimidio marini salis, per domum solutum hoc spargite subtilibus guttis a conspersore — (hac voce communiter instrumentum ad hoc distinguimus) — productis, eaque ratione ut in singulas horas liquidi eiusdem gramm. 120 diffundantur. Brevi tempore domus marinis istis effluviis saturabitur; quod si in litore reapse versari, illudere vobis concupieritis, oculos quasi obdormientes claudite, auribusque applicetis aliquam ex conchis illis, quibus distinctum aestus murmur promanat.

Ita ille. Addo ego: Si ad amabile summum in re vos ludere velitis, anserina penna gulam simul vobis titilletis. Sic et... marinum morbum struetis, complementum herele! aequorei gaudii profecto necessarium.

\* \*

Hic autem video Badaiocensem annum meum, mente ad argumenta maxime sibi dilecta, suapte natura trascurare. Et illi pax: **mensae** enim simplicem

atque delicatum **ordinem** ei devovere sum hodie paratus; fidemque ei do coquiae magistrum tandem me invenisse, qui et in posterum huiusmodi notulas saepe saepius sit mihi praebiturus.

Hodierna est prouti sequitur; dicatque is mihi an *soupe de santé*, seu *Julienne*, et *purée de petits pois*, sive *Saint Germain*, ei videantur recte a me fuisse latine redditia:

*Intrita ex oleribus.*

*Acipenser frixus in frusta compte dispositus.*

*Petaso elixus, fructuum embemmata conditus.*

*Pisa munda ad incerniculum acta.*

*Pulli gallinacei veru subassi, cum lactucis agrestibus.*

*Crustulatum pulmentum cremo et fragis saporatum.*

*Bellarria.*

*Vina.....*

\* \*

De vinis silet coquus meus; neque mihi cum ullo tabernario commercium aliquod est, ut defectui succurrere possim. Ex adverso, tradita mihi sunt Avicennae monita circa **regimen potus aquae**, sanitati quidem, hac praesertim tempestate, fructuosa; per quae muneri meo finem hodie imponam.

Si quis ergo — inquit — velit a morbis evadere, dividat regimen suum in tria, quorum unum tribuatur animae, et aliud cibo, et aliud potui vel aquae.

Et parum quidem aquae frigidae satiat et sitim sedat; ad hoc non sufficeret multum tepidae.

Non est autem aquae potus frigidae nimium frequentandus, eo quod nervis obsit.

Non est etiam offerendus potus nivatae aquae nisi pingui, sanguineo, multae carnis.

Est etiam vitandus potus aquae in

mensa, nisi ratione adhaerentiae et tardi descensus buccellae.

Non est etiam sumenda aqua cum cibo, nec in egressu a balneo.

Nec etiam post forte exercitium.

Si tamen quis ex modica tolerandi potentia siti urgeatur, sumat ex ea parum tantum; scilicet quo declinatio et impulsio cibi ad inferius stomachi compleatur, quatenus ibidem digeratur. Sumat tamen ex aquis illam quae sitim sedet et satiet: aut ex vino quod et quantum congruat et sufficiat.

Et si sumpta aqua ad satietatem aut vino sufficienti accidat sitis, vitentur potus eorum: quoniam talis sitis est mendosa.

### Locosa.

Villici duo museum visitant. Quum coram mutila statua obveniunt, alter alteri:

## ROMA SACRA

### Ex Congregatione Indicis.

Per decretum S. huius Congregationis d. V mens. Junii MCMXVI damnata, proscripta et in Indicem librorum prohibitorum relata sunt opera quae sequentur.

L. SALVATORELLI ed E. HÜHN, *La Bibbia. Introduzione all'antico ed al nuovo Testamento (L'Indagine moderna, volume XIX)*. — Milano, ecc. Remo Sandron, s. a.

P. JUAN DE GUERNICA, *La Perla de la Habana*, Sor Maria Ana de Jesús Castro, Religiosa Capuchina del Convento de Plasencia. — Zaragoza, 1914, 2 vol. in-12°.

LUDOVICO KELLER, *Le basi spirituali della*

— Fugiamus — inquit. — Vigiles enim huius damni reos, insontes nos insimulare poterunt!...

Tuccius de geographia periculum facit.

*Magister.* — Optime quidem; ad septem Italiae triones Alpes tibi offeruntur; ad orientem autem solis...?

*Tuccius.* — Ientaculum.

\*

### Aenigmata.

I.

Longa feror velox, formosa filia sylvae  
Innumera pariter comitum stipante caterva:  
Curro vias multas, vestigia nulla relinquens.

II.

*Integra* dum tecto, multos sine vertice damno;  
Primaque dum volitant, posteriora canunt.

(Aenigmata in superiore numero proposita his respondent: 1) (*vulgo Rebus*) *Sub veni in fe li ei = Subveni infelici*; 2) *Acus*.

IOSFOR.

ROMA SACRA

massoneria e la vita pubblica. — Todi, 1915.

Rivista di scienza delle religioni. — Roma,

Tipografia del Senato, 1916.

Dr. HENRI MARIAVÉ, *La leçon de l'hôpital Notre-Dame d'Ypres. Exégèse du secret de la Salette*. — Tome I, Paris, 1915;

tome II, Appendices, Montpellier, 1915.

Sub eadem die innotuit Cyrillum Macaire,

decreto S. Congregationis, ed. die XII mens.

Aprilis MCMXV, quo liber ab eo conscriptus (1) notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, se subiecisse.

(1) Cfr. *Alma Roma*, an. II, fasc. V (Idibus Maiis MCMXV), pag. 100.

### Ex Congregatione S. Officii.

Dubium de SS. Numismatibus loco Scapularium benedicendi.

Proposito dubio: « Utrum sicut sufficit primum scapulare (v. g. B. Mariae Virginis de Monte Carmelo), quod in adscriptionis actu induitur, benedicere, quin deinde alia eiusdem generis scapularia nova bene-

dictione egeant pro eadem persona, ita etiam sufficiat primum numisma benedicere, quin alia numismata, quae primo deperdito vel usu detrito assumuntur, nova benedictione muniantur, vel utrum numisma toties sit benedicendum quoties, primo deperdito vel usu detrito, novum sufficitur », responsum est negative ad primam partem; affirmative ad secundam — (Ex decr. d. X mens. Maii MCMXVI).

## FRANCISCVLI PRANDIUM (9)

VINCENTIUS (ad fores persistit, et ad milites conversus): — Tene, sis, me poste. — Cavete; stultior enim stulto ille est!

HIPP. (Vincentio) — Num tibi, amabo, ianua est mordax mea, qui introire metuas?

VIGIL. — Silete omnes!

FRANC. — (Video iam inducias exisse et sub iugum mihi esse abeundum).

VIG. (Hippolyto, Vincentium indicans). — Nosti hominem?

HIPP. — Pol, si novi!... Amicus meus Vincentius ipsest.

VINC. (Vigili). — Audin? Tu vero contendebas....

VIG. (Vincentio) — Silentium! (Hippolyto): Perge.

HIPP. — Qui quum, paulo ante, mensae meae in conclavi hoc participaret, proripuit repente se ex aedibus quasi furiis agitatus.

VINC. — Iustas hercle! rationes habebam in pedes me coniiciendi!

VIG. — Silentium! Novimus optime legitimas rationes tuas!

VINC. (qui paullatim ad Francisculum appropinquavit ab eo submisse querit): Videtur ne tibi rediisse iam ille in viam?

VIG. — Ohe! Secretum cum illo puero commercium? Et ille deprehendatur!

FRANC. (Hippolyto supplex) — Ut ego in vineula abripiar, domine mi?

HIPP. — Vas ego fio pro puero hoc; imo pro utroque homine.

VIG. — Ah! tu sonsum tutelam geris? — (Militibus): Et is adducatur in carcerem!...

HIPP. — Atqui de integritate mea notum est lippis et tonsoribus.

VIG. — Verumst; sed tamen....

HIPP. — Sinas patefiat saltem eius comprehensionis causa.

VIG. — Brevi expeditur. Custodiam agitantes, hunc hominem vidimus ex hac domo praecipitem erumpere, hac illae circumcursare, atque respectare identidem, veluti si quis eum insequeatur. Ut eum conspeximus, pro certo habentes de fure agi, curriculo occoepimus insectari. Vix adipisci potestas fuit atque incendi manicas, debita apud eum exquisitione peracta, mensale hoc argentum invenimus. (Ostendit). Quum autem is esset confessus ex hisce aedibus se venire, in coniectura facile posuimus, mensale hinc fuisse harpagatum: quod quidem convivalis

nunc quem videmus apparatus apprime confirmat. Nostrum itaque est ad iudicem reum tradere, qui rigidas pro meritis gravesque poenas addicat.

VINC. — At nisi orationem ex ore eripuisses, probassem facile....

VIG. — Silentium!

VINC. — Apage! Cum isto tuo silentio quemquam vel ad furcam rapueris....

VIG. — Undenam igitur mensale hoc es praedatus?

VINC. — Nullibi, inquam, terrarum. Meum enim est, qui argentariam ago.

HIPP. — Et ipse testari possum.

VIG. — Silentium!... Curnam illam fugam capessieras, retroque exterritis oculis spectabas?

VINC. — Hippolyti periculum abibam, qui mihi aures in insaniam sua eradicare contendebat.

HIPP. — Me tibi aures eradicare?

VIG. — Videas quid stolidi consilii repereris!... Satis iam verborum: ad iudicem, inquam, ad iudicem!

HIPP. simul atque Vinc. — Ad iudicem?

FRANC. — Sustine tandem signa, quae solo vigilius diligentissime. Si enim hic mali est quidpiam, culpa omnis in me conferendast: ego sum huic rei caput.

HIPP. — In noxa tu, Franciscule?

VINC. — O mea tandem commoditas, infelicem me in vadum reducas!

VIG. — Heu vos!... Silentium! (*Francisculo*): Loquere, puer; cave tamen ne tricas aut falsa concinnes.

FRANC. — Quam potero verba in paucissima reddam, et per veritatem. Quia hodie, ob diem domini mei nominalem, prandendum mihi cum eo erat, dummodo ne importunus quispiam superveniret, Vincentio huic, qui ad fortunam meam subvertendam accessit, de-

nunciavi, ut abiret, amicum suum, insanientem interdum, per mensam solitum eradicare convivarum aures.

HIPP. — Animus gladiatorius, ut eum exballistavit!...

FRANC. — Credidit ille officiis meis; dumque modimperator hic noster pulillum istum Indicum secare moliebatur, is de auribus suis agitari putans, abiit, excessit, evasit, erupit. Haec ad amusim vera.

VINC. — Crucior lapidem non habere me, ut illi mastigiae cerebrum excutiam!

FRANC. — Da, contra, mihi hanc veniam: ignosce.

HIPP. (*Vincentio*) — Adeo te fuisse fungum ut qui illi crederes!...

VINC. — Tam ingenue fatebatur! Hei mihi! Pieta vidi quae sub Acheruntem fiunt cruciamenta.

HIPP. — Illa quae antehac facta sunt praetermittamus. Quando res bene demum successerunt, hilarem sumamus omnes hunc diem: quod si optimus hic Vigil noster eiusque milites praesto esse et ipsi velint...

VIG. — Praesidio civibus semper esse, hoc opus, hic labor noster. (*Ad milites conversus*): Macti este hacce dape, commilitones!...

VINC. — Ad amicum meum celebrandum...

FRANC. — Eius gratiam pro nobis fovendam...

HIPP. — Suisque honoribus decorandum Franciseuli prandium.

FRANC. — FINIS. I. F.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☺ ☺

## De rationibus quae ad nobiliorum linguarum cognitionem facilius ducant

Non erit abs re de hoc argumento et in hisce paginis disserere: exinde enim pauperiem, qua latinitas ipsa nostris diebus premitur, remedium aliquod fortasse invenire poterit. Nec equidem nova sugerere adnotatiunculis meis praesumo; si vero iamdiu prolata repeatam, satis habebo fructum illius veteris adagii colligere: *Repetita iuvant*.

Ut autem paucis multa, quemadmodum res postulat, complectar, quattuor dicam necessario requiri, si quis in lingua addiscenda et exercenda feliciter progredi et aliquando egredi velit, ne prorsus haereat, et quasi in carcerem compingatur. Primo, intelliget omnium vocum usitatarum significatus omnes; vel ut idem paulo aliter exprimam, linguae radices, et ab illis suppullulantia, quae vulgo derivata vocant et composita. Secundo, observabit linguae idiosismos et hinc natam elegantiam. Tertio, privarum vocum proprietates et concinnam structuram, qua iuxta leges grammaticae coeunt, et puram orationem efficiunt. Quarto, ad usum ista transferent: a) auctores qui in lingua illa excelluerunt et eleganter scripserunt in-

terpretando; b) e vernaculo in linguam quae discitur, transferendo; c) in familiari colloquio vel simili in usu, novam linguam usurpando. — In quatuor istis aut cardo rei vertitur, aut ego sum in magno errore.

De singulis paulo fusius dicere, opera premum est.

Quam necessarium sit ut studiosus alicuius linguae omnes eius voces usitatas intervisat, exemplis illustrari potest. Qui omnes alphabeti literas syllabasque usitatas, ex characterum concursu formatas, decenter exprimere potest, is in omnibus libris legit expedite. At si quis tantum aliquam literam ignoret, reliquas autem norit, nunquam leget probe, sed obmutescet in illis vocibus, quibus unus et alter ex ignotis characteribus inseruntur. Rem ita se habere nemo unquam negabit.

Ut literae variae ingrediuntur **voces** has vel illas, sic voces variae et diversae, iam haec, iam illae ingrediuntur orationem, proprietate ac diversitate rerum, de quibus agitur. Cui autem maxima pars vocum ignota est, quique quid notent est nescius, quomodo animi sensus exprimet, nisi recurrat ad ignorantiae istud asylum: « Da mihi hanc rem, illam rem », vel inepta et ridicula periphrasi uta-